

dimus, ut veritatem prosequaris, ita ut et nos de tua narratione scenciamus noticiam veritatis.

Abbas respondit¹: Vir Domini sanctus Arnulphus, nobilis genere nobilior moribus, postquam miliciam secularem reliquit, apud sanctum Medardum monachus fuit. Sanctitate autem et virtute plenus de vita claustrali se redegit ad arduam vitam reclusionis, unde in abbatem assumptus locum totum copia rerum et legibus mox reparavit. Vocatus autem vel potius iussus a rege Philippo² cum armata milicia in expeditionem contra regis hostes exire maluit in cellam reclusionis secedere. Consequenti tempore Geruasius dapifer regis carnalem suum germanum in ecclesia Suessionensi statuit episcopum sine electione cleri vel populi et sine consilio Romane vel Remensis³ ecclesie. Cuius introitus haut canonicus et vita nimis indecens brevi patuit domino pape Gregorio septimo⁴, qui non distulit Ursionem⁵ deponere et virum dei Arnulphum reclusum in prefata ecclesia episcopum subrogare.⁶ Papa dixit: Ecce monstrasti istum Arnulphum sanctum fuisse episcopum, sed quomodo ad locum vestrum fundandum pervenerit, non monstrasti. Abbas dixit: Parata est monstratio, si presto sit audicio. Pontifex ait: Exequere.

Tunc abbas⁷: Comes, inquit, Rodbertus a suis proditus et sue prodicionis rancore exacerbatus ipsum sue mortis reatum retorsit in quosdam nobilium clericorum⁸, quos a Flandria expulit et officiis atque honoribus spoliatos ad misericordiam sancte Romane ecclesie convolare coegit. Quorum afflictioni compaciens dominus papa misit virum dei Arnulphum episcopum ad comitem Rodbertum pro reconciliatione eorundem clericorum. Quibus digne pacificatis subiit in mentem ipsius comitis et quorundam optimatum, id est Euerardi Tornacensis et fratris sui Cononis atque Balduini Gandensis, ut eidem viro Dei ydoneam mansionem circa ecclesiam sancti Petri apostoli apud Aldenborg ordinarent. Vir autem Domini rectus et simplex de manu comitis illud donum recusavit omnino; quapropter evocatus a comite tum temporis

¹) Für das Folgende vgl. Vita Arnulfi episc. Suessionensis auct. Hariulfo, SS. 15, 872 ff. ²) Philipp I. von Frankreich, 23. Mai 1059 (29. Aug. 1060) — 29. Juli 1108. ³) Erzbisum Reims. ⁴) 22. April 1073 — 25. Mai 1085. ⁵) 1080 — 1081. ⁶) 18. Dez. 1081 — 15. Aug. 1082. ⁷) Vgl. für das Folgende die ausführlichere Darstellung in SS. 15, 886 f. ⁸) Zu ihnen gehörte nach SS. 15, 887: *Arnulfus Merinorum archidiaconus et ecclesiae beati Audomari prepositus*, 1074 (1075) — 1116.